

De liber constructionis monasterii ad s. Blasium.

111

herus de Basilea, qui iam annis pueritiae a parentibus hic domino est oblati, per annos triginta et septem in dei servitio et eius genitricis persilit devotus. Hic tam in hoc loco, quam etiam in aliis nostris locis sibi et aliis utiliter laboravit, et maxime apud cellam nostram Beraw, ubi in constructione novi monasterii \* pondus diei et aestus saepius portavit. Cellerarii quoque officium per aliquos annos in hoc loco tenuit fratribusque suis charitatis studium impendere studuit. Et quamvis exterioribus curis frequenter esset occupatus, divinis tamen officiis tam in celebratione altaris quam etiam in assiduitate in choro psallendi cum caeteris fuit intentus. Sacristae etiam officium non multo ante obitum suum tempore habuit. Correptus igitur languore, quo et de hac vita migravit, ipsius petitione tam sacri olei unctionem quam caetera christianae militiae munimenta ad hoc tunc pertinentia devote accepit.

10. Appropinquante igitur hora exitus sui, quidam frater officio <sup>1</sup> presbyter ante lectum eius sedit psalteriumque a principio repetens usque ad psalmum: \*\* „benedic“, secundum decantavit. Quem ut incoepit, voces dulciter psallentium audivit quasi de maiori ecclesia vel de capella sanctae dei genitricis more processionalis domui infirmorum prolixius propinquare, hunc cantum concordis vocibus decantantes <sup>2</sup>: „benedic anima mea“ \*\*\*. Quo expleto <sup>3</sup> convenienter subiungunt versus: „benedic anima mea,“ qui in sabbatho pentecostes scriptus habetur.

11. Cum hoc igitur, ut sibi videbatur, ad domum et prope locum, ubi infirmus gravi aegritudine fessus iacebat, chorus psallentium veniebat, viditque frater, qui haec audiebat <sup>4</sup>, lumen splendidum veluti iubar solis de lecto infirmi procedere ac per domum infirmorum, et quod est mirabilis, per murum domus in longum se contra orientem protendere † [fol. 26<sup>b</sup>]. Infirmus

vero in ipsa hora quasi de gravi sompno excitus in lecto se erigens resedit fratremque custodem infirmorum propria voce ad se vocavit et, ut de lecto pedes ei levaret, postulavit, nam statim se esse iturum dixit.

12. Alium quoque fratrem presbyterum, qui etiam ibi non longe in lecto iacebat, nox enim erat, etiam, ut veniret, rogavit ipsumque ac fratrem, qui ea, quae iam retulimus, vidit, ut sibi quantocius septem vicibus „pater noster“ dicerent, postulavit. Quibus, ut rogaverat, dictis, cum magna voce dominam mundi, reginam coeli tribus vicibus invocavit, dicens: „sancta Maria, sancta Maria, tempus est, ut venias in auxilium meum.“ Statimque rogavit, ut sine mora super cilicium poneretur, ac tabula solito more \* percuteretur; quod et factum est, convenientibusque fratribus cum magna vultu hilaritate requievit in pace.

13. [Arnoldus de Argentina.] [1187—1198.] Arnoldus de Argentina \*\*, unus ex senioribus nostris, vir fuit simplicis quidem naturae \*\*\*, sed tamen talis, cui caeteris altius sacrae paterent scripturae. Is longo labore ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in dei servitio consenuit et monachi propositum moribus et vita laudabiliter tenuit. Nullus sane studiosior eo in choro est inventus et erudiendis ad scientiam pueris magis intentus. Huic ad mortem aegrotanti cum frater quidam adstaret, coepit ab eo quaerere, quando se de corpore migraturum speraret? Cui ille: „non prius, inquit, sum moriturus, quam ex praesentia principum honestam sepulturam sim habiturus“ <sup>1</sup>. Dictum mox eventus probavit. In sacra siquidem nocte pentecostes, quae eodem anno sexto decimo calendis Junii evenerat, est consummatus †.

14. [Arnoldus de Baden.] [1186.] Arnoldus de Baden ††, quem in occultis suis bonam semper erga

<sup>1</sup> hier setzt die Hs. dixit bei, was überflüssig ist.

\* S. oben Buch 2, 27 und unten Kap. 14. 44, 188. Später flutete beim Sterben die Berstehungsstufe.

\*\* Der Familienname de Argentina kommt in Basel und Breisach vor. S. Band 3. S. 236. Die Basler Familie hatte im 12. Jahrhundert das Marktschallamt des Bisthums Basel. Ein Rudolphus de Argentina, gest. 1391, kommt im rotulus defunctorum vor. S. Bd. 3. S. 605. Der obige Arnoldus starb im 12. Jahrhundert und steht deshalb nicht im rotulus defunctorum.

\*\*\* Das ganze Kapitel 13 ist in Reimflängen geschrieben, die auch im folgenden Kapitel fortgehen. Von naturae — scripturae an bis moriturus — habiturus.

† Pflingsten fiel in den Jahren, welche hier in Betracht kommen können: 1187, 1198, auf den 17. Mai. Also starb Arnoldus in einem dieser Jahre, da er 1204 schon tot war. S. unten.

†† Wahrscheinlich Baden in der Schweiz, von welchem sich eine Adelsfamilie benannte.

<sup>1</sup> Dieses Wort fällt besser nach dem folgenden. <sup>2</sup> nach decantantes ein kleiner leerer Raum. <sup>3</sup> qua expleta, Hs. <sup>4</sup> audibat, Hs.

\* Aus dieser Notiz läßt sich die Chronologie für Bernher von Basel feststellen. Derselbe ist zuerst um 1120 erbaut worden und zweimal verbrannt, 1188 und 1267. Nach diesem letzten Brande wurde es erst 1426 wieder aufgerichtet. Der oben erwähnte Neubau fällt entweder 1120 oder nach 1188, d. h. nach dem ersten Brande. S. Quellens. Bd. 2. S. 69. Da er 37 Jahre im Kloster war, so lebte er in der zweiten Hälfte des 12. Jahrhunderts.

\*\* Pfam 102, 1, 2 und 103, 1.

\*\*\* Pfam 102, 1.

† Zwei weitere Beobachtungen dieser Art berichtet Abt Michael von Schönbühl in seinem liber revelationum etc. Pz, thes. I., 2. p. 460, 61.